

revocationem Processuum habitorum contra eos, & liberationem de omnibus bannis, collectis, condemnationibus, represaliis impositis, vel factis a tempore exitus ipsorum Gibellinorum per dictum Regem, ejus Vicarium, vel prefatum Commune Florentie, nec non & quoad receptionem ad gratiam nostram, & ipsius Ecclesie, ac Regis predicti, eadem, quantum ad ipsos, per omnia observantur, quae quantum ad dictos Comites superius sunt expressa. Illi vero de memoratis Gibellinis ipsius Civitatis, & alii de districtu ejus, de quibus memoratus Rex Sicilie ordinabit, erunt in consensibus inter Urbem & Padum, ubi & quantum Rex ipse mandabit, in locis tamen tutis & congruis: Reliqui vero liberi erunt extra Civitatem & Comitatum Florentie in quibuscumque locis, quae ipsis per eundem Regem non fuerint specialiter interdicta.

si que omnia bona restituentur, & de damnis satisfaciendum.

§. 14. Memoratis autem familiis cum in Civitatem redierint mandamus restitui omnia bona dictorum Gibellinorum immobilia & Jura in statu, in quo sunt: Et quod, sicut ceteri homines Civitatis ipsius, in suis Juribus conserventur, & si qua damna data sunt in eis, postquam intravimus Civitatem, & post prohibitionem super hoc factam, volumus & precipimus remedium per ipsum Regem, tamquam per Vicarium Imperii, & potestatem ipsius Civitatis apponi: ita quod de damnis ipsis satisfiat: Et idem de restitutione damnorum hujusmodi etiam Guelfis fiat.

Ab eis vero dandi obsequia: satisfaciendumque de damnis Ecclesie, vel Regi illatis.

§. 15. Actum est etiam & nos precipimus observari, quod dicti Gibellini Civitatis & districtus pro predictis observandis dent obsequia ad arbitrium dicti Regis tenendos, sicut de obsequio dicti Comitis Guidonis superius est expressum, & de praeteritis offensis non graventur per ipsum Regem, nisi quantum videbitur nobis, & ipsi Regi: De offensis factis Ecclesie satisfiant, prout placebit nobis; de offensis factis Guelfis aliis ab ipsis Gibellinis actum est, & nos precipimus observari, quod pro pace & concordia inter Guelfos & ipsos Gibellinos solide reformandis dicti Guelfi eligant sex ad plus & Gibellini totidem, qui de dictis offensis & reformatione pacis & concordiae provideant, & ordinent inter eos, prout fore viderint opportunum: Et nihilominus prefatus Rex de nostro consilio daret unum, ut si electi a partibus discordarent, forsitan illo annumerato stetur dicto majoris partis eorum. Idem autem Rex Venerabilem fratrem nostrum Aldobrandinum Urbevitanum Episcopum jam ad hoc de nostro consilio deputavit.

Hac vero ab omnibus, & singulis observanda.

§. 16. Actum est etiam & nos observari precipimus & mandamus, ut hic modus reformandae pacis & concordiae etiam inter Guelfos & Gibellinos de districtu Florentie observetur.

Guelfis Papii bona & jura reddenda.

§. 17. Item actum est & nos precipimus observari, quod Guelfis Popii & aliorum locorum reddantur bona sua immobilia & Jura in statu, in quo sunt, & conserventur in justitia, sicut ceteri locorum eorumdem.

§. 18. Item actum est & nos precipimus observari quod praedicta Castra inspiciantur per bonos homines & legales, per quos statuatur

numerus servientium, qui necessarius erit ad custodiam ipsorum, & tanta stipendia construantur pro singulis servientibus, quod possint idonei haberi.

De expensis obsequium.

§. 19. De expensis autem hujusmodi concordaverunt Gibellini, scilicet dicti Sindici & Ambassiatores nomine eorumdem, & Nos precipimus observari, quod expense tam pro Castris, quam pro obsequiis Gibellinorum Florentie & districtus fiant per totam partem Gibellinorum: Expense vero pro obsequiis castri Popii fiant per homines dicti castri.

Gibellini amici non molestandia Regi.

§. 20. Item precipimus & districte mandamus, tam per memoratum Regem tamquam per Imperii Vicarium, suosque in hoc Vicarios, & quemlibet alium in hoc Jurisdictionem vel potestatem habentem inviolabiliter observari, ut Amici praedictorum Gibellinorum de Florentia pro eo quod fideiuebunt pro eis, vel alias occasione ipsorum, ad confinia non mittantur, nec graventur in destructione Domorum, vel in aliquo alio in Personis aut rebus.

Hec vero observanda sub spiritualibus, & temporalibus penis.

§. 21. Ceterum ut praemissa, quae ad communem utilitatem earumdem partium, totiusque Provinciae sunt salubriter instituta, quo magis fuerint multiplicato munimine roborata, eo solidius jugis observationis perpetuitate firmantur: auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus sancti, Beatorum quoque Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra ipsa sub pena praedicta Viginti millium Marcharum & excommunicationis, quam in singulares Personas, & interdicti, quam in Universalitatem contrarium facientes ex nunc ferimus, decernimus perpetuis temporibus inviolabiliter observanda: eadem auctoritate ac sub eisdem penis districtus ac aperti prohibentes, ne aliqua contra praemissa & specialiter in creatione Populi novitas attemptetur. Quod si forsitan in praedictis aliqua incidit dubitatio, interpretationem & decisionem ipsius nobis & eidem Sedis Apostolicae referentes, ad nos & ipsam super illa volumus haberi recursum.

Et a Partium Sindici juramento firmata.

§. 22. Ad majorem autem cautelam praemissa omnia & singula precipimus & mandamus per Sindicos partium earumdem ipsarum nomine tactis corporaliter Sacrosanctis Evangeliiis praestito Juramento firmari & specialiter, quod una pars alteram de cetero non offendant.

A Nunciis; Partium hac conventio juramento firmata.

§. 23. Sane in publico parlamento, ubi eadem convenerat multitudo, praesentibus charissimo in Christo filio nostro Constantinopolitano Imperatore illustri, ac Rege praedicto, & adstantibus nobis nonnullis ex fratribus nostris ejusdem Ecclesiae Romanae Cardinalibus, & aliis Archiepiscopis & Episcopis diversorum locorum praemissis omnibus latis de verbo ad verbum, & patenter expositis, dilectus filius Bernardus Raynaldi Acurssi Communis ejusdem Civitatis Capitaneorum & partis Guelforum de Florentia, & Angelus Fogliarini praedictorum Comitum Capitaneorum & partis Gibellinae Syndici, Procuratores, & Nuntii habentes ab eis ad hoc plena mandata, quorum tenores seriatim transcribi, & sub Bulla nostra mandavimus annotari, in Archivis nostris eorum originam.

ginalibus conservandis nomine praedictorum, a quibus mandatum habebant, praemissa omnia & singula homologaverunt, & acceptaverunt expresse, promittentes sibi ad invicem, & tactis corporaliter Sacrosanctis Evangeliiis in animabus suis, & illorum, quorum erant Syndici, seu Procuratores praestito juramento firmantes perpetuo pacem praedictam, & omnia & singula, quae superius sunt expressa, inviolabiliter observare, nec contra ipsa vel ipsorum aliquod per se, vel per alium, publice vel occulte ullo unquam tempore vel modo venire. Actum Florentie supra litus Arni juxta Pontem qui vulgariter dicitur Robaconti Quarto Idus Julii Pontificatus nostri Anno secundo.

Dat. die 10. Julii 1274. P. an. II.

VII.

Contra Christianos ad ritum Judaicum transeuntes, Judaeosque conversos rejudicantes, vel Christianos ad eorum ritum inducentes.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Fratribus Praedicatorum: & Minorum Ordinum Inquisitoribus haeretice pravitatis, auctoritate Sedis Apostolicae deputatis, & in posterum deputandis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Turbato corde audivimus, & narravimus &c. Reliqua concordant omnino cum alia hujus generis Constitutione Clementis IV. incipien. Turbato Corde: num. XXIII. Tom. III. Par. I. pag. 462.

Dat. die 2. prima Martii 1274. P. an. II.

Dat. Lugduni Kal. Martii Pontificatus nostri anno II.

VIII.

De reditu Michaelis Palaeologi Graecorum Imperatoris ad obedientiam Romani Pontificis, & unione Ecclesiae Graecae cum Latina.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, Carissimo in Christo filio Michaeli Palaeologo Imperatori Graecorum Illustri. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exultat hic Pont. cum toto Conc. Lugdunense de reditu Michaelis Palaeologi Graecorum Imperatoris ad unitatem S. R. E.

§. 1. Exultat mater Ecclesia renascentis prolis fecunditate jucunda. Exultat & jubilat gaudenter, attendens se drachmam perditam invenisse: immensa letitiae rore perfunditur, dum ruinas, quas in ea schisma multiplicarat antiquum, impleri per tuum, aliorumque reditum ad ipsius Ecclesiae unitatem, sine stragis cujusque periculo, solo pacis auctore praevio intuetur. Exultamus & Nos pastores, prout Domino placuit, vices gerentes in ea. Exultamus proculdubio in illo vero Pastore, qui animam suam pro ovibus suis ponere non expavit. Ipsi vitulum laborum, exolvimus, de cujus non est dubium munere processisse, ut ovis quae perierat sit inventa: & revixerit filius, quem mors animae, mors utique gravior occuparat. Occurrentes itaque Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

tibi de regione dissimilitudinis redeunti, collo tuo brachiis paternae affectionis accumbimus, & te solidae caritatis osculo preliis osculamur. O utinam tibi fili pateret ad plenum cum quanto in his occurrit tripudio eadem Ecclesia, nuper in Lugdunensi Concilio congregata. O si voces psallentium inibi, Deumque flexis genibus, & nudatis capitibus laudantium precipue Praelatorum in tuis sonuissent auribus, & revelata facie ipsorum oculos deducentes quasi aquarum exitus inspexisses: profecto prudenter adverteres, quod erant eorum lacrimae tam excussi doloris indices, quam adeptae laetitiae proditricis: Nec minus intelligeres, quam grati tui advenerint Nuncii, quam fuerint gratanter accepti, cum quanto etiam jubilo tuae professio acceptata. Exulta igitur, & tu fili, exulta, & laetare in eo, qui est splendor lucis aeternae, divinae quaedam emanatio claritatis: qui tuum sic animum suo lumine illustravit, ut lumen veritatis intelligens, non solum redires ad illam, sed ad redeundum alius dux, & praevius effici mereris. Exulta & gaude talem, ac tantum jam datum laboribus tuis effectum: ut & de tuo ad sinum unitatis Ecclesiae reditu, indubitatum expectare valeas praemium, & de aliis per te redeuntibus tibi plenioris debeat retributionis augmentum.

Hortatur eundem Imperatorem ad totalem schismatis abolitionem.

§. 2. Perfecta ergo: & quod coepisti, sollicitate cum omni diligentia, & sollicitudine prosecuaris, efficacem pro posse daturus operam, ut nec in aliquibus ejusdem schismatis reliquiae qualescumque superint. Dei quidem perfecta sunt opera, & tu creatura illius creatorum tuum in tam placiti consummatione operis pro viribus imitare, ut spei concepte de praemio res succedat, & praemissum debitum exhibitio regalis exolvat. Super his autem & aliis habitis circa praemissa processibus, praefati Tuae Celsitudinis Nuncii, quorum tibi notior est virtus, & probitas, ad te plenius revertuntur instructi: quibus te non dubitamus fidem induciam adhibere.

Dat. die 28. Julii 1274. P. An. III.

Datum Lugduni, v. Calendis Augusti, Anno tertio.

Sequitur alia Pontificis epistola ad Filium dicti Imperatoris.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, Andronico Primogenito carissimi in Christo filii nostri Michaelis Palaeologi Imperatoris Graecorum Illustris, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Hortatur Pont. filium d. Imp. ut studeat unitati Ecclesiae Graecae cum Latina.

§. 1. Habes fili, unde Domino Deo tuo in vocem exultationis, & confessionis erumpas. Exultes in eo, & fatearis humiliter tibi de immenso ipsius dono concessum, verae fidei agnoscere veritatem: illam, amplecti piis affectibus, & devotis nobis missis affatibus confiteri. Hec si corde contrito, & humiliato spiritu recognoscens, a ceptorum prosecutione sollicita non desistas, plura tibi salutaribus inhaerenti studiis, proculdubio ipse bonorum omnium dator adiciet, perfecta tandem retributionis praemium largiturus. Ideoque magnitudinem tuam monemus, & hortatur B 2

mur in Domino Jesu Christo; quatenus in-
præmissis sic ut discrete scripsisti, tui genitoris
incliti laudabili proposito, nobis per ejus &
tuas expresso literas, constanter adherens, to-
tis viribus fatagas, ut antiquati schismatis om-
nino aboleantur reliquæ, sitque Latinorum,
& Græcorum unitas perpetuis temporibus in-
concuſſa.

Dat. die, an-
noque cedis.

Datum Lugduni V. Calendis Augusti, an-
no tertio.

Subſequitur tenor literarum ſupradicti Michaelis
Imperatoris ad Pontificem.

Intitulatio.

Sanctissimo, & Beatissimo, Primo &
Summo Pontifici Apostolicæ Sedis ve-
herabili Papæ, & communi Patri omnium
Christianorum, & Venerabili Patri Imperii no-
stri, Domino Gregorio, Michael in Christo
Deo fideliter Imperator, & Moderator Romæ
Regum, Ducas, Angelus, Comnenus, Pa-
læologus, & spiritualis filius Magnæ Sanctita-
tis Vestræ, convenientem honorem & reve-
rentiam cum sincera, & pura affectione, & ora-
tionum postulatione.

Nuncii Se-
dis Aposto-
licæ ad Impera-
torem tran-
smiſi.

Quoniam missi sunt a Magnitudine vestra
ad Imperium meum Nuncii Deo placentes, Or-
dinis fratrum Minorum, Frater Hieronymus
de Aſculo, Frater Raymundus Berengarii,
Frater Bonagratia de S. Joanne in Perſiceto, &
Frater Bonaventura de Mugello; & obtulerunt
litteras Magnæ Sanctitatis Vestræ Imperio meo;
in quibus inter alia de confessione fidei, quam
docet, & prædicat, & confitetur Sancta Ro-
mana Ecclesia, continebatur, & oportebat,
in his magis responſionem convenientem nos
facere, ecce hoc facit Imperium meum. Ha-
bet autem professio fidei in dictionibus taliter.

Tenor con-
fessionis aut
professionis
fidei predicti
Imperatoris.

Credimus Sanctam Trinitatem, Patrem,
& Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum
omnipotentem, totamque in Trinitate Deita-
tem coessentialem, & consubstantialem, coæ-
ternam, & coomnipotentem, unius volunta-
tis, potestatis, & majestatis, Creatorem om-
nium creaturarum, a quo omnia, in quo om-
nia, per quem omnia, quæ sunt in cælo, & in
terra, visibilia, invisibilia, corporalia, & spi-
ritualia. Credimus singulam quamque in Tri-
nitate personam, unum verum Deum, ple-
num, & perfectum. Credimus ipsum Filium
Dei Verbum Dei æternaliter natum de Patre,
consubstantialem, coomnipotentem, & æqua-
lem per omnia Patri in divinitate, temporaliter
natum de Spiritu Sancto, & Maria semper
Virgine, cum anima rationali; duas habentem
nativitates, unam ex Patre nativitatem
æternam, alteram ex Matre temporalem,
Deum verum, & hominem verum, proprium
in utraque natura, atque perfectum, non ado-
ptivum, nec phantasticum, sed unum, & uni-
cum Filium Dei, in duabus, & ex duabus na-
turis, divina scilicet & humana, in unius per-
sonæ singularitate, impassibilem, & immor-
talem divinitate, sed in humanitate pro nobis,
& salute nostra passum vera carnis passione,
mortuum, & sepultum, & descendisse ad in-
feros, ac tertia die resurrexisse a mortuis vera
carnis resurrectione: die quadragesimo post re-

surrectionem cum carne, qua resurrexit, &
anima ascendisse in Cælum, & sedere ad dex-
teram Dei Patris, inde venturum judicare
vivos, & mortuos, & redditurum unicuique
secundum opera sua, sive bona fuerint, sive
mala. Credimus & Spiritum Sanctum plenum,
& perfectum verum Deum, ex Patre Filioque
procedentem, coæqualem, & consubstantialem,
& coomnipotentem, & coæternum per
omnia Patri, & Filio. Credimus hanc Sanctam
Trinitatem, non tres Deos, sed unicum Deum,
omnipotentem, æternum, & invisibilem, &
incommutabilem. Credimus sanctam Catho-
licam, & Apostolicam unam esse veram Ec-
clesiam, in qua unum datur sanctum bap-
tisma, & vera omnium remissio peccatorum.
Credimus etiam veram resurrectionem hujus
carnis, quam nunc gestamus, & vitam æter-
nam. Credimus etiam novi, & veteris testa-
menti, legis, ac Prophetarum, & Apostolo-
rum unum esse auctorem Deum ac Dominum.
Hæc est vera fides Catholica, & hanc supradic-
tis articulis tenet, & prædicat Sacrosancta Ro-
mana Ecclesia; sed propter diversos errores, a
quibusdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia
introducitos, dicit, & prædicat eos, qui post Ba-
ptismum in peccata labuntur, non rebaptizan-
dos, sed per veram poenitentiam suorum con-
sequi veniam peccatorum. Quod si vere poeni-
tentes in caritate decesserint, antequam dignis
poenitentia fructibus de commissis satisfecerint,
& omnis eorum animas poenis purgatoris, hoc
est catarteris, sicut nobis Frater Joannes expla-
navit, post mortem purgari, & ad penas hu-
jusmodi relevandas professe eis fidelium vivorum
suffragia, Missarum scilicet sacrificia,
orationes, & eleemosynas, & alia pietatis of-
ficia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri con-
sueverunt, secundum Ecclesie instituta. Illo-
rum autem animas, qui post sacrum bap-
tisma susceptum, nullam omnino peccati maculam
incurrerunt; illas etiam, quæ post contractam
peccati maculam, vel in suis manentes corpo-
ribus, vel eisdem exuta, prout superius dictum
est, sunt purgata, mox in Cælum recipi. Il-
lorum autem animas, qui in mortali peccato,
vel cum solo originali decedunt, mox in Infer-
num descendere, poenis tamen disparibus pu-
biendas. Eadem Sacrosancta Ecclesia Romana
firmiter credit, & firmiter asseverat, quod ni-
hilominus in die Judicii, omnes homines ante
tribunal Christi cum suis corporibus compare-
bunt, reddituri de propriis factis rationem. Te-
net etiam, & docet eadem Sancta Romana Ec-
clesia, septem esse Ecclesiastica Sacramenta,
unum scilicet Baptisma, de quo dictum est su-
pra; aliud est Sacramentum Confirmationis,
quod per manuum impositionem Episcopi con-
ferunt, chrismando renatos; aliud est Poeni-
tentia; aliud Eucharistia; aliud sacramentum
Ordinis; aliud est Matrimonium; aliud Ex-
trema unctio, quæ secundum doctrinam B. Ja-
cobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum
Eucharistia ex azymo conficit eadem Romana
Ecclesia, tenens & docens, quod in ipso Sacra-
mento panis vere transubstantiatur in Corpus,
& vinum in Sanguinem Domini nostri Jesu
Christi. De Matrimonio verò tenet, quod nec
unus

IX.

Provisiones, & Ordinationes pro Ecclesiastica
libertate in Regno Portugallia
manutenda

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Regest.
Patic. Vide
Raynald. ad
ann. 1275.
621

DE Regno Portugallia contra dudum &
nunc propter peccata forsan Populi,
regnantes in ipso ab olim ingens clamor ascen-
dens, in gentes & Regna illorum diffusit infami-
am, & exclamans in eo Sancta proſterni, Ec-
clesias, Personas Ecclesiasticas, & libertatem
ipsarum non conculcari tantummodo, sed qua-
si omnino subverti; Regnum ipsum cum suis
habitatoribus per regnantes eisdem non regi,
vel dirigi, sed velut datum in prædam ab
ipsis, & suis tamquam a prædonibus inhumanè
tractari, undique diripi, totaliterque consumi;
diversorum Romanorum Pontificum Præde-
cessorum nostrorum, & nostras aures percu-
lit, & ad prædictorum correctionem ipsiusque
Regni directionem eo specialius illorum & no-
strum excitavit officium, affectu animos, pro-
vocavit affectus, quod idem Regnum, quod
est Romanæ Ecclesie censuale, ipsi Ecclesie
specialiori jure tenetur.

Humana, di-
vinaque hoc
in Regno
male haberi
dolet Grego-
rius.

§. 1. Dudum siquidem cum ad felicis recor-
dationis Honorii Papæ Prædecessoris nostri au-
dientiam validis multorum clamoribus per-
venisset, quod quondam Alphonſus Portuga-
liæ Rex timorem divini nominis & amore
damnabiliter a se prorsus abiciens, & tam-
quam ad ejusdem Regni & habitatorum suo-
rum conculcationem, seu potius desolationem,
extremam & subversionem omnimodam Ec-
clesiasticæ libertatis in spiritu tyrannicæ per-
secutionis anhels, inter cetera gravia & enor-
mia, quibus contra se ultionum Dominum
provocabat, Sacrosanctam Ecclesiam Sponsam
ejus in Regno ipso ancillare pro viribus faga-
bat, tam Cathedralibus, quam aliis Eccle-
siis, nec non Monasteriis, Hospitalibus, Do-
mibus, aliisque Religiosis locis, & Clericis di-
cti Regni collectas, & alia importabilia gra-
vamina præsumptuosius imponens, aliis eadem
diversis & variis afflictionibus opprimendo;
præfatus Prædecessor eundem Alphonſum per
suas literas rogandum, monendum duxit at-
tentius, & hortandum obsecrans per aspersio-
nem Sanguinis Jesu Christi, ut culpas suas hu-
militate recognoscens converti ad Dominum
festinaret, & ab Ecclesiarum & Personarum
Ecclesiasticarum molestiis, & gravaminibus
omnino desistens bonæ memoriæ Archiepisco-
po Bracharen, qui hujusmodi occasione gra-
vaminum in eundem Regem ac nonnullos
complices excommunicationis, & terram ip-
sius Menopolitica sibi lege subiectam interdi-
ctas sententias duxerat promulgandas, de da-
mnis & injuriis Archiepiscopo irrogatis eidem
satisfactionem plenariam exhiberet, certis su-
per hoc exequutoribus deputatis, adjectisque
comminationibus gravibus & diversis, quæ de
Regni etiam amissione formidinem ingerbant.
Cum

Alphonſus
Rex ab Ho-
norio III. Se-
pius de his
rebus, ro-
gatusque ut
ab hujusmo-
di abstineret.

Supplicat pro
conservatio-
ne rituum
Ecclesie Gre-
gæ.

Transmissio
Nunciorum
ad Romanum
Pontif. pro
prædictorum
confessione
firmanda.

Sanctus Alphonfus filius a Gregorio IX. de eisdem rebus monitus.

§. 2. Cumque quondam Sanctus ipfius Alphonfus filius & in Regno fucceffor eodem, tamquam in ipfum cum fanguine hujusmodi pravitate diffusa fugienda fequens veftigia Genitoris, excessus enormes in Ecclefiasticas & Religiofas Personas non minus, immo magis perniciose committeret, prava quadam & iniqua inter cetera prosequendo statuta, qua Pro-avi sui prophana proponitur edidisse praesumptio, & per qua Personarum ipsarum injuria ac infamiationes graves, Domorum quoque infractions, bonorum spoliationes, & direptiones frequentius contingebant; piae memorie Gregorius Papa Nonus Praedecessor noster, cum ad ipsum praemissa per clamorose insinuationis infamiam devenissent, intendens & ejusdem Sancti salutem consulere, & Ecclesiarum ac Personarum ipsarum indemnitate praecavere, dicto Sancto inter alia districtius inhibuit per suas literas speciales, ne per se vel officiales, aut Vassallos suos personas easdem infamare, vel earum Domos infringere, seu bona ipsarum, quovis modo diripere attentaret, ab earumdem gravaminibus & molestiis quibuscumque penitus abstinendo; Et certis super his exequutoriis deputatis graves comminationes & duras idem Gregorius Praedecessor adiecit.

§. 3. Recolendae insuper recordationis Innocentius Papa Quartus Praedecessor noster querelis multimodis & clamorosis delationibus excitatus, & inter alia intellecto, quod idem Sanctus ejusdem Regni gubernatione suscepta Ecclesias & Monasteria consistentia in eodem, in gravem divinae Majestatis offensam, & conculcationem Ecclesiasticae libertatis exactio-nibus & oppressionibus plurimis per se ac suos immaniter afflixerat, & affligere non cessabat, & ab aliis pro ipsorum libito libere permittebat affligi, cupiens Regnum ipsum tot tribulationum adversitate depressum per aliquos prudentis industriam relevari; cum praefatus Sanctus, quem per suas literas idem Innocentius Praedecessor rogandum duxerat attentius, & hortandum specialibus super hoc monitoribus deputatis, ut praemissa celeri emendatione corrigeret, ac in consilia se reduceret meliora, in deterius semper converteret actus suos, & mala malis tanquam in sensum datus reprobum cumulare, Barones, Communitates, seu Concilia tam Civitatum, quam castrorum, aliorumque locorum, ac universos Milites, & Populos per Regnum constitutos praedictum per certas sub certa forma confectas literas de fratribus suoribus consilio monuit, rogavit, & hortatus extitit, dans nihilominus illis districtius in praecipis, ut Charissimum in Christo filium nostrum Alphonsum Portugalliae Regem Illustrum tunc Comitem Bolonien, ejusdem Sancti Germanum, per quem sperabat ipfius Regni miserabilem statum ope comite celestis auxilii relevandum, cum praedictum Alphonsum ad curam & administrationem generalem & liberam dicti Regni apostolicae Sedis auctoritas assumpsisset, devote recipere, sibi in omnibus & per omnia intendere procurarent, deputatis eidem certis exequutoriis in hac parte, prout haec omnia eorumdem praedictae literae plenius attestantur.

Imperatum postea ab Innocentio IV. subditur, ut Alphonso Comiti Bolonien. Regis Fratri obedirent.

§. 4. Porro processu temporis saepesatus Alphonfus Rex ad ejusdem Regni Praelatorum instantiam, ad curam, & custodiam dicti Regni ac defensionem Praelatorum ipsorum, nec non Religiosorum, ac totius Cleri & Monasteriorum, Ecclesiarum, Viduarum, Orphanorum, ceterorumque in illo degentium per sedem eandem, prout praemittitur, evocatus, licet certos ex parte Praelatorum ipsorum Articulos sibi oblatos Parisiis, ac praemissas provisiones Apostolicas in praedictis eorumdem Praedecessorum Honorii, & Gregorii literis comprehensos se, cum ipfius Regni dominium quocumque adeptus foret titulo, astrinxerit Juramento praestito servaturum, prout in literis inde confectis, & quondam Magistrorum Joannis Sedis Apostolicae Cappellani Carnoten., & Lucae Decanorum, ac Petri Cancellarii Parisien., Ecclesiarum, aliorumque Clericorum, tam Religiosorum, quam Secularium, necnon & quorundam Nobilium sigillis munitis plenius continetur; tam grandis tamen honoris ab ejusdem sibi Sedis benignitate collati quasi omnino immemor, tantique beneficii gratiam minime recognoscens, sed ad eam prostris ingratus Juramenti Religione contempta, quam cauti custodire debuerat, non solum provisiones & Articulos supra dictos servare contempsit; verum etiam quamplura contra Praelatos, & Ecclesias, Religiosos, Clerum, & Populum spediatis, ac libertatem Ecclesiasticam commisit enormia, sicut fama immo verius infamia publica protestatur: Propterque bonae memoriae Martinus Archiepiscopus Bracharensis, E.... Compostellanensis Archiepiscopus tunc Colimbriensis, R. Egitanensis, V.... Portugallensis, M.... Colimbriensis tunc Visentis Episcopi personaliter, & bona memoriae M.... Elborensis, & P.... Lamacensis Episcoporum Procuratores oppressionibus dicti Regis afflicti, affecti molestiis, injuriis laesit ad Apostolicae Sedis clementiam a persequentis facie fugiendo necessarium habuere recursum, super his opportunum provisionis & Consilii Sedis ipsius remedium non absque laboribus gravibus, & expensis longo verbi tempore praesolantes, & demum dictis Bracharen & Compostellanen. Archiepiscopis, ac R. Egitanen. Episcopo sublati de medio, Nos ad supplicem aliorum superstitum Episcoporum instantiam per nostras sub certa forma literas eundem Regem rogare, monere, ac hortari curavimus, ut a violatione libertatis Ecclesiasticae, nec non & ab usurpatione Jurium divinarum, & ab Ecclesiarum aliarumque Personarum secularium quibusvis molestiis abstinere, ceterosque sibi subditos cessare compelleret ab eisdem: Quodque universa bona, & singula Praelatorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliarum quarumcumque Personarum Ecclesiasticarum, quae quacumque occasione ablata, vel quocumque modo illicita occupata, consumpta, detenta, seu data, vel alienata per eum, vel de mandato ipsius, aut per Barones, Milites, & Officiales ejusdem extiterant, sine difficultatis obstaculo restitueret, ac restitui faceret cum fructibus inde perceptis: Et de damnis & injuriis ipsis illatis satisfactis.

Alphonfus, verò, quamvis remedia his se allaturum promiserit, pejora tamen parat.

Papa erga eum longanimitas.

factionem exhiberet eisdem & exhiberi faceret competentem; & quod Constitutiones, & statuta in eodem Regno contra Ecclesiasticam libertatem, statumque Regni pacificum introducta non servaret, nec ab aliis permetteret observari; sed praedictas Ecclesias, & Personas in libertate plenaria conservaret: Ac insuper caveret per suas patentes literas Bulla sua plumbica consignatas Venerabilibus fratribus nostris Egitanensi, Colimbriensi, Portugallensi, Ulixbonensi, & aliis Episcopis dicti Regni, eorumque Capitulis singulis eorumdem singulas literas concedendo, promittens eis firmiter in eisdem, quod ab ipfiorum Episcoporum, & aliorum Praelatorum, Ecclesiarum, Ecclesiasticarum Personarum, nec non Communitatum, Conciliorum, & Hominum, Civitatum, Castrorum, aliorumque locorum pacifico statui, ut tenetur, ex Officio praevendo, aliter contra ipsum procedere curarem: Et quia ferventi desiderio cupiebamus, & cupimus, ut inter ipsum, & Praelatos, Clericos, & Personas Ecclesiasticas dicti Regni optata pax & concordia proveniret, & stabili postquam provenisset firmitate duraret, & aliquos Viros providos & fideles ad Nos cum sufficienti mandato transmitteret, qui ea, quae per ipsum & suos in praemissis correcta & emendata existerent, & pacem atque concordiam, quam dictis Prelatis, Clericis, & Personis Ecclesiasticis super his ex tunc servare proponeret, in nostra posset, & studeant praesentia roborare, vel eundem Regem in his omnibus nostrae & Apostolicae Sedis ordinationi submitterent, quidquid equitate praevia per Nos, & Sedem ipsam in omnibus supra dictis ordinare contingeret recepturi.

Missi ad eum Nuntii Apostolici.

§. 5. Dedimus praeterea dilectis filiis Priori Praedicatorum, Coadjutori & Guardiano Minorum fratrum Ordinum Ulixbonen, per alias nostras literas in mandatis, ut ejusdem Regis praesentiam adeuntes ipsum, ut se super his, quae in nostris literis tunc directis eidem, & Articularibus ab ipfius Regni Praelatis coram Nobis propositis, & per fratres sibi praesentandis eisdem continerent, corrigeret, ex parte nostra monere & efficaciter inducere procurarent: & si ad correctionem illorum voluntarium se offerret, vel ex responsione ipsius, ac aliis circumstantiis appareret, quod vellet praemissa corrigere, interdictionem in eodem Regno a Praelatis positum supra dictis usque ad septem menses receptione literarum nostrarum suspenderent, numerandos ita tamen, quod solemnes Nuntii dicti Regis cum sufficienti mandato infra menses quatuor a tempore suspensionis interdicti hujusmodi computandos iter acciperent ad nostram praesentiam veniendi. Si vero praefatus Rex juxta mandati nostri tenorem corrigere praedicta contemneret, saepedictum Regnum ipso Jure post septem menses eisdem redigeretur in pristinum interdictum. Memoratis etiam fratribus in virtute obedientiae districtae per alias nostras injunximus literas, ut, cum idem Rex praedictos Episcopos, aliosque Praelatos, nec non Capitula, Conventus, Clericos, & Ecclesias, ac Populum dicti Regni gravibus, sicut acceperamus, afficeret injuriis, & pres-

suris; Nosque sibi super hoc nostras sub certa forma literas mitteremus, eas dicto Regi fideliter praesentarent, ac responsum ejus, & quid, quid super eis duceret faciendum, nec non locum, & diem, in quibus, & coram quibus Personis ipsi Regi dictas literas ducerent praesentandas per suas patentes literas directarum tam eis, quam ipsi Regi literarum seriem continentes curarent Nobis plenius intimare.

Parum hi proferunt.

§. 6. Sane duo ex dictis fratribus mandato nostro recepto volentes observare sollicitè fines ejus praefati Regis adire praesentiam, & ipsius mentem verbis pacificis, humilibusque sermonebus inclinare, ipsumque diligenter, prout ex forma ipsius mandati poterant monere ac inducere curaverunt, ut saluti suae providens, & honori, mandatis & monitis Apostolicis obediret. Idem vero Rex ab eisdem fratribus multoties humiliter requisitus, ut praesentatas sibi per illos Sedis Apostolicae literas clementer audiret, diligenter intelligeret, & efficaciter exaudiret, tamquam male sibi conscius per diversas excusationes & frivolos multiplici exposito diffugio, vix tandem elapsis pluribus terminis super hoc ab eo fratribus assignatis eisdem & protestationibus plurimis fratrum ipsorum coram Baronibus, & Consiliariis dicti Regis, ac multis aliis tunc praesentibus publice factis, quod mandatum Apostolicum parati erant, prout tenebantur, executioni debite demandare; qualemqualem audientiam voluit dictis fratribus exhibere, nunc infirmitatem, nunc minutionem, nunc alia impedimenta varia pretendendo. Et quamquam post nonnullos terrarum circuitus dictorum fratrum humilitate devota non absque laborum sarcina illius vestigia prosequente, se velle apostolicis parere in hac parte beneplacitis simularet; parum tamen de his, quae tantum verbaliter praesentabat, realiter adimplevit, eo magis suae inobedientiae vitium detegens, quo amplius illud obtegere satagebat. Et tandem licet ipse Rex auditis & intellectis literis supra dictis, ac Regni gravaminibus, & afflictionibus, & oppressionibus abhorrendis per fratres eisdem sibi oraculo vivae vocis expositis, quamvis eorum non existeret ignarus, Baronibus, & Consiliariis suis tunc secum morantibus correctionem Regni simulate committeret; tamen quasi nihil per ipsum aut eos actum extitit circa illam: propter quod saepedicti fratres sollicitius attendentes, quod penes Regem eundem proficere non valebant, nec volentes verbis ejus, in quibus veritatem repetere non poterant, ulterius detineri, ab eo super hiis instantiter petiere responsum Nobis fideliter indicandum: Quod tandem in quadam Cedula non sigillata notatum, quam illud sub sigillo Regio instantissime postulasent, per opportuna importunitatis instantiam extorserunt tam responsum hujusmodi, in quo idem Rex licet persuasè sibi correctionem juxta mandatum nostrum se vacare pretenderet, per hoc calamitates & miseras dicti Regni non tam inficians quam affirmans, excusationibus tamen frivolis & malitiosis diffugiis potius intendebat, quam quod in hac parte fecerant, per suas Nobis patentes literas plenius intimantes, per

per quas Nobis super dictis gravaminibus evidentiis informati liquido constat, circa correctionem illorum non esse dictorum fratrum, immo nostris monitionibus paritum, seu quomodolibet satisfactum.

§. 7. Nos igitur, qui ex debito Pastoralis Officii de fidelium statu pacifico sollicitis studiis cogitare tenemur, tot & tantas iniquitates tanto continuatas tempore, immo potius tot temporum & successione continuatione incorrigibiliter obfirmatas nequeentes ulterius urgente conscientia conniventibus oculis pertransire, sed Prælati, Ecclesiis, Monasteriis, Clericis, aliisque Personis Ecclesiasticis, exterisque Habitatoribus dicti Regni super tot importabilibus gravaminibus, afflictionibus, & pressuris benigno compatientes affectu, ac volentes etiam paci & tranquillitati eorumdem Regni Prælatorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Clericorum, & aliorum in illo degentium paterno sollicitudinis studio providere, de Apostolica plenitudine potestatis, & fratrum nostrorum consilio statuimus, & ordinamus; quod idem Rex obliget se stipulatione solemniter præstito Juramento ad observandum, quæ in prædictis eorumdem Honorii, & Gregorii Prædecessorum literis continentur, & quæ, ut præmittitur, Parisiis juravit, & quod nullo unquam tempore veniet contra ea: promittat etiam, quod sui successores in Regno prædicto, in quibus hujusmodi jam quasi hereditaria pravitas in tot eorum sine interruptione radicata Prædecessorum exempla non immerito metuuntur, infra annum, postquam gubernacula ipsius Regni susceperint, se modo simili obligabunt, & super hoc idem Rex suas patentes literas, tam juramentum, quam totius promissionis hujusmodi feriem continentes sua plumbea Bulla Bullatas confici faciet Dilecto filio Electo Bracharen. & Venerabilibus fratribus nostris Egitanien, Colimbrien, Portugallen, Ulixbonen, Silven., & cæteris ipsius Regni Episcopis, eorumque Successoribus, vel Procuratoribus eorumdem, singulis videlicet singulas concedendas.

Omnes infra regni Officiales jurent illa infringi se non passuros.

§. 8. Statuimus insuper & ordinamus, & providemus, quod quocumque aliquos in Barones, Alferazes, seu Signiferos, Majordomos, Cancellarios, Superjudices, Consiliarios, Almozarifos, Prætores, Meyrinos, & alios Officiales publicos in Regno assumet eodem, ipsos, antequam suorum officiorum executionem concedat, eisdem, jurare faciat, quod ipsi non erunt in consilio, auxilio, vel favore, quod dictus Rex, vel aliquis de suis contra prædicta provisiones, & contenta in forma præmissi Juramenti Regis ejusdem, aut contra Ecclesiasticam libertatem quidquam faciat, & ipsi ea in violabiliter observabunt, & a suis subditis facient observari. Quodque Nobiles Viros Dynisum, & Alfonso filios suos, Alferaz, Majordomum, Cancellarium, Barones, Superjudices, Consiliarios, Almozarifos, Meyrinos, Prætores, Judices, & alios Officiales publicos Regni ejusdem, qui jam instituti administrant, faciat præstare simile juramentum: Et quod dicti Successores sui hoc ipsum de suis Baronibus, Alferazibus, Majordomibus, Cancellariis, Su-

perjudicibus, Consiliariis, Almozarifis, Prætoribus, Meyrinis, Judicibus, Regni sui Officialibus, & ordinariis observabunt.

§. 9. Providemus, & ordinamus, atque statuimus, quod nominatus Rex pro se, & omnibus de Regno & dominio suo bona fide, & sine fraude præstet, & concedat perpetuam securitatem & pacem prædictis Electo, & Episcopis, ac eorum familiis, & rebus, ac aliis, qui hæcenus assiterunt eis in dicti prosecutione negotii, vel deinceps assiterint, aut præstiterint auxilium, vel favorem; quod eis in personis, vel rebus suis intrando, morando vel exeundo Regnum prædictum, quoties, & quando suis viderint utilitatibus expedire, non offendet, nec offendi, quantum in eis fuerint, per aliquem patietur: Quodque idem Rex remittat Prælati, eorum familiis, & aliis supra dictis omnem rancorem, & odium, si quod contra ipsos concepit, aut aliquem eorumdem, vel saltem in abstinendo ab offensis eorum, & faciendo alios abstinere, perinde se habeat ad ipsos, ac si adversus eos nullum rancorem vel odium concepisset. De hujusmodi autem securitatis & pacis infractione ipsum ita per omnia teneri decernimus, sicut juxta consuetudinem Regionis teneretur, si treugam forsitan infregisset: Et quod super præmissis Capitulis omnibus & singulis observandis præstet idem Rex corporaliter juramentum, & confici etiam faciat patentes literas sua prædicta plumbea Bulla bullatas, & prædictorum filiorum suorum, Alferaz, Cancellarii, Majordomum, Superjudicum Curia suæ, ac decem Baronum Majorum de dicto Regno sigillis nihilominus roboratas, dando singulas dictis Electo, & singulis Episcopis, Abbatibus, & Prioribus Monasteriorum, quæ per Priorem consueverunt tantummodo gubernari, nec non & Communitatibus Civitatum Regni prædicti.

Rex vero Ecclesiasticis & Ecclesiasticis nullam se injuriam, aut molestiam allaturum.

Pæne contra inobedienter.

§. 10. Ceterum quia facilis forsitan esset prædictorum transgressio, nisi poenarum adjectione vallerent, volumus & ordinamus, quod nisi prædictus Rex infra tres menses, postquam ad ipsum ordinatio ista pervenerit, & Successores sui infra annum, postquam regnare ceperint, omnia & singula compleverint supra dicta Capitula, cujuslibet ipsorum præmissa, prout eum contingunt omitterentis, implere, & si per unum mensem in hujusmodi obstinatione perseveraverint; loca etiam, in quibus ipsi omitterentis fuerint, vel ad quæ ipsos contigerit pervenire, quamdiu ibi moram contraxerint, sint Ecclesiastico supposita interdicto. Et si infra unum mensem præter prædictos tres, sive annum quantum ad successores proximo sequentem, huic ordinationi parere, ac præmissa omnia, & singula implere neglexerint; idem Rex & prædicti Successores ejus ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, quam ex nunc in illo casu ferimus in eisdem. Quod si infra alium mensem prædictum unum mensem immediate sequentem in hujusmodi negligentia seu omissione perseveraverint, tota terra sua videlicet prædictum Portugaliz & Algarbii Regnum eo ipso Ecclesiastico subiaceat interdicto: Et si adhuc per tres alios men-

mensis in illorum adimplentione cessaverint, subditi & vassalli eorumdem Regum ab observantione juramentorum fidelitatis, & homagii, quibus sibi obligati existunt, sint penitus absoluti, sibi que respondere in aliquo minime teneantur: quamdiu in hujusmodi pertinacia permanebunt. Nec iidem Rex & successores Jurepatronatus, si quod habent in Ecclesiis dicti Regni, quamdiu in hujusmodi contumacia, & excommunicatione permanserint, uti possint. Si autem memoratus Rex, aut Successores sui post promissiones & obligationes prædictas, juramenti præstationem, literarum suarum pacis & securitatis concessionem hujusmodi, contra prædicta venerint, vel aliquod præmissorum, & infra similes terminos; postquam denunciatum fuerit eis per Dioecesanum loci, in quo Rex præfatus, vel Successores sui veniendo contra præmissa exceperint, vel per ejus Vicarium ipso absente, aut ejus Ecclesia vacante cum consilio, & assensu duorum Coepiscoporum Regni ejusdem tunc in Regno ipso præsentium, super his satisfacere forte contempserint, poenis expressis superius ipsos decernimus subiacere, a quibus absolvi non possint sine mandato Sedis Apostolicæ specialis. Assumendi autem in Barones, Consiliarios & alios Officiales publicos, seu etiam jam assumpti, si eorum, quæ juraverint, fuerint transgressores, nisi exinde infra mensem satisfecerint competenter, Laici eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, Clerici vero & eadem ligati sententia, & obtentis beneficiis sint privati, & inhabiles ad alia obtinenda.

Pæne in Reges inobedientes.

Et Barones, & Officiales.

Classis.

Dat. die 4. Septembris. 1275. P. an. IV.


Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionis, ordinationis, & provisionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c.

Datum Bellicadri secundo nonas Septembris Pontificatus nostri Anno IV.

INNOCENTIUS V.

PAPA CLXXXV.

ANNO DOM. MCCLXXXVI.



Inclusis Conclavi Aretii Cardinalibus die 20. Januarii 1276. postredie primo celebrato & publicato Scrutinio electus est in Pontificem Petrus de Tarantasia, natione Burgundus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, antea Archiepiscopus Lugdunensis, mox S. R. E. Cardinalis Episcopus Ostiensis, qui Innocentius Quintus voluit appellari. Romæ coronatus est 22 Februarii anno eodem, seditque in Pontificatu a die electionis Menses v. dies II (*) imperantibus in Oriente Michael Paleologo, in Occidente Rodolpho Rege Romanorum. Obiit Romæ die 22. Junii anni ejusdem, & sepultus est in Ecclesia Lateranensi. Vacavit Sedes dies xx.

C

Inno-

(*) Tot enim menses & dies, computando & diem electionis, & diem mortis, eum sedit scribit Prolomeus Lucensis.